



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De eximijs qui adhuc in vita manebant confessoribus. Cap. X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

utilitatem eorum, qui sunt in ecclesiis libertate donati, constitutę sunt. Nam cum partim præ exquisita quadam legum obseruatione, partim præ possessoribus, qui inuiti eos dimiserunt, permagna esset difficultas in maiore libertate acquirenda, quam Romani, ciuitate donari appellant, tres tulit leges, quibus dicereuit, vt omnes qui in ecclesijs essent testimonio Sacerdotũ libertate donati, in remp. Romanam ascriberentur. Huius pij instituti satis clara etiam hac nostra ætate extant indicia: quippe consuetudo adhuc tenetur, vt leges de eo sancitę, in principio tabularum de manumissionibus scribantur. Atque hæ sunt leges à Constantino promulgatę: qui quidem omnę curam & cogitationem ad Christianam religionem ornandam contulit.

De eximijs qui adhuc in vita manebant confessoribus.

CAP. X.

ERat porrò hæc religio tum sua ipsius vi, tum propter virtutem eorum, qui id temporis eam excolebant, satis gloriosa. Nam cum alij multi boni Christiani tũc quidem vixere, tum quàm plurimi confessores, persecutionis tempestatibus iam nuper sedatis, fuere superstites, ecclesijsque permultum ornamenti attulere: Vt Osius episcopus Cordubę: vt Amphio Epiphanię, vrbs Cilicię episcopus: vt Maximus, qui post Macarium, Hierosolomitana rexit ecclesiam: vt Paphnutius Aegyptius: per quem fertur Deum quàm plurima edidisse miracula, profligasse dæmones, eique variorum morborum sanandorum facultatem dedisse. Iste Paphnutius, & Maximus ille, de quo dixi modò, erant ex illorum confessorum numero, quos tyrannus Maximinus ad metalla, cum oculos eorum dextros effodisset, sinistrorumque pedum flexus eneruasset, condemnauit.

De sancto Spiridione & eius modestia & tranquillitate.

CAP. XI.

B 4

Eisdem